



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XIII. An terminus relationis prædicamentalis debeat esse distinctus
realiter, ac verè ab eius fundamento, & quousque?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

C A P V T XIII.

An terminus relationis prædicamentalis debeat esse distinctus realiter, ac verè ab eius fundamento, & quousque?

173 Quidam negant apud P. Suarez disp. 48. metaph. sect. 9. num. 2. Idem etiam videtur magna ex parte censuisse Scotus in 1. dist. 31. & in quodlibet, q. 6. ibi enim docet, si contingeret duo subiecta reddi alba merito vnius albedinis in vitroque diuinitus posita, relationem prædicamentalem similitudinis vtriusque refutaturam, cum tamen eadem numero albedo in euentu esset fundamentum, simulque terminus formalis, siue ratio terminandi. Seneca etiam lib. 5. de beneficiis c. 7. in principio refert quosdã Stoicos dubitasse de distinctione reali inter fundamentum, & terminum relationis realis, siue prædicamentalis, vtraque enim haud distinguitur vnquam, vel certè quod ad præsens attinet, eadem est vtriusque ratio: Atqui (inquit vbi supra) apud stoicos quosdam, & de hoc ambigitur, an possit aliquis sibi beneficium dare? an debeat referre sibi gratiam. Quia autem de causa dubitant de re inter ceteros ferè omnes confessa, declarat ibidem ita profectus quod, ut videretur quarendum, illa fecerunt: solemus dicere gratias mihi ago: & de nullo quari possum alio, quam de me: ego mihi irascor: & ego a me panas exigam: & odi me: multa præterea huiusmodi per qua vnusquisque de se tanquam de altero loquitur.

174 Ceterum fundamentum, ac terminum relationis prædicamentalis, & cuiusuis realis realiter, ac verè oportere distingui, tuerunt plerique scholastici: præsertim verò B. Thom. opusc. 48. tract. 5. c. 1. Soncinas 5. metaph. q. 29 & ceteri eius familiae Doctores. Item ex nostris Suarez disp. & sect. supra citatis n. 3. Fonseca lib. 5. metaph. c. 15. q. 1. initio, Albertinus tom. 2. in prædicam. ad aliquid q. 13. Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 6. §. 49. & ne multis morer, omnes quos viderim.

175 Probatum autem hæc sententia primò auctoritate Anselmi in monolog. cap. 50. Imitatio, & similitudo non est in vno solo, sed in pluribus. Quæ autem similitudinis, eadem est cuiusuis realis relationis necessitas, ut eius distinguantur extrema. Secundo auctoritate Augustini lib. 6. musica cap. 13. Vbi autem æqualitas, aut similitudo, sibi numerosa: nihil est enim tam æquale, aut simile, quam vnum, & vnum. Ecquid autem est numerositas; ecquid vnum & vnum, quam distinctio vera, ac realis? hæc ergo ad similitudinem, & æqualitatem requiritur, adeoque ad quamcunque relationem realem. Tertio idem sentit B. Gregorius hom. 16. in Euangelia, his verbis; Nemo enim propriè ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit, ut esse charitas possit. Quod si relatio amicitia postulat extrema realiter distincta, quidni etiam quæuis alia?

176 Quarto, ut alios prætermittã, cõcinit Seneca supra c. 7. ad finem his verbis. Nemo sibi debet. Natura prius est, ut quis debeat, deinde, ut gratia referat. Debitor non est sine creditore, non magis, quam maritus sine uxore, aut sine filio pater. Et cap. 8. sequenti ita; Aliquis dare debet, ut aliquis accipiat. Non est dare, nec recipere in dexteram manum de sinistra transferre. Quomodo nemo se portat, quamuis corpus suum moueat, & transferat: quomodo nemo, quamuis pro se dixerit, a fuisse sibi dicitur, nec statum sibi tanquam patrono ponit: quomodo, si æger cum cura sua conualuit, mercedem à se non exigat: sic in omni negotio, etiam cum aliquis probè fecerit, non tamen debeat se ferre gratiam sibi, quia non habet cui referat. Et c. 9. ad eius finem: Dat nemo, nisi alteri, debet nemo, nisi alteri. Reddit nemo, nisi alteri. Id intra vnum non potest fieri, quod toties duos exigit. Quibus omnibus id semper inculcat, relationem realem beneficentia, & gratitudinis pro beneficiis deposcere extrema realiter distincta: quid est ergo, quapropter omnis alia relatio realis, & vera, siue sit transcendentalis more illarum duarum, siue prædicamentalis, non postulet terminos propriè distinctos? Quin etiam, quamuis quod ad præsens attinet, par sit ratio relationis transcendentalis, ac prædicamentalis, adeoque satis sit de altera eum hæctenus esse locutum, tamen vtriusque postea cap. 10. comprehendit in hæc verba: Paulo ante dicebam quadam ad alios pertinere, & sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat à nobis. Frater sum, sed alterius. Nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui. Quis est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est. Sic, & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est.

rit, non tamen debeat se ferre gratiam sibi, quia non habet cui referat. Et c. 9. ad eius finem: Dat nemo, nisi alteri, debet nemo, nisi alteri. Reddit nemo, nisi alteri. Id intra vnum non potest fieri, quod toties duos exigit. Quibus omnibus id semper inculcat, relationem realem beneficentia, & gratitudinis pro beneficiis deposcere extrema realiter distincta: quid est ergo, quapropter omnis alia relatio realis, & vera, siue sit transcendentalis more illarum duarum, siue prædicamentalis, non postulet terminos propriè distinctos? Quin etiam, quamuis quod ad præsens attinet, par sit ratio relationis transcendentalis, ac prædicamentalis, adeoque satis sit de altera eum hæctenus esse locutum, tamen vtriusque postea cap. 10. comprehendit in hæc verba: Paulo ante dicebam quadam ad alios pertinere, & sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat à nobis. Frater sum, sed alterius. Nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui. Quis est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est. Sic, & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est.

177 Quinto suadet eadem sententia ratione, eaque manifesta, & à priori. Relatio est ad aliud, sin minus à se, certè à suo fundamento: vera ergo, & propria relatio est ad aliud verè, ac propriè: eiusque proinde fundamentum & terminum oportet ita distingui: quod si minus sint distincta, relationem parient, non realem & strictam, sed adumbratam, & alienam, ut supra visum est capite primo, vbi huius argumenti facta fuit mentio. Sexto denique: personalitates diuinae realiter distinguuntur: at non alia ratione, nisi quoniam inter ipsas intercedit vera relatio originis, merito cuius prima secundam, & vtraque tertiam realiter producant, atque è contrario hæc à duabus prioribus, necnon secunda à prima producantur: ut ergo hæc relatio realis, ita similiter quæcunque alia veram distinctionem postulat extremorum.

178 Quæ postrema ratio paulò aliter proponi potest, hunc videlicet in modum. Ex reali relatione diuinarum personalitatum colligitur à Theologis earum distinctio realis: at ea collectio nulla proctus esset, si relatio inter extrema realiter indistincta posset interuenire. Diceret fortasse non nemo, colligi quidem à Theologis distinctionem realem personalitatum ex earum relatione reali, non quæcunque, sed tali, nimirum producentis, & producti. Contra, quoniam, si ita esset, haud diceret in Deo omnia sunt vnum, nisi vbi obest relationis oppositio, sed potius omnia sunt vnum, nisi vbi vnum producit aliud, vnumve producitur ab alio: hoc ergo posterius, cum non adstruant, sed illud prius; signum esse debet, haud ex tali relatione, quatenus talis est, in particulari, sed ex ea quatenus fortitur conceptum communem relationis realis colligi ab eis realem personalitatum distinctionem. Deinde quod relatio diuinarum personalitatum sit talis, non arguit, eam esse magis ad aliud, quam quamuis aliam relationem veram, ac realem, non ergo magis facit extrema esse distincta, cum distinctio extremorum per particulam aliud explicetur: nequaquam ergo ex relatione diuinarum hypostasium prout talis, sed prout est præcisè relatio, earum concluditur distinctio, sicut in nostro assumit argumentum: proinde hæc casio vim eius minime labefactat.

179 Verum obiiciunt primò aduersarij: identitas est tam vera relatio, ac similitudo, & æqualitas: illa nimirum quoad substantiam refert, quemadmodum hæc penes qualitatem, & quantitatem iuxta Aristotelem 5. metaphysic. capite decimo quinto, eiusque interpretes omnes: atqui res est vere, & propriè eadem sibi, sicut alteri: sibi videlicet numericè, quemadmodum alteri

alteri genericè, aut specificè: rei ergo ad seipsam vera, ac propria relatio minimè repugnat. Arguunt secundò ex Scoto ubi suprà: si collocet Deus, pro eo, ac potest, eandem albedinem in duplici subiecto ligno, v. g. & marmore, erunt utique duo alba inuicem similia, ac verè relata: eiusmodi autem relatio vnus albi ad aliud non est alterius subiecti ad alterum, cum subiecta potiùs sint dissimilia: ergo est albedinis ad seipsam: haud enim est in vtroque albo, quod referri possit, nisi, vel subiectum, vel albedo.

180 Ad primum respondeo; identitatem impropiam, & latam vnus substantiæ cum alia, siue vtriusque conuenientiam formalem esse veram, realemque earum relationem; contra verò identitatem numericam, & propriam cuiusvis substantiæ secum ipsa esse esse impropiam relationem, ac solius rationis, vt suprà explicatum est cap. 9. dubit. prima. Ad secundum respondeo, eo in euentu, nec sola subiecta relatum in inuicem, nec albedinem etiam ad semetipsam, sed complexionem vnus subiecti, & albedinis ad aliam complexionem alterius subiecti, & eiusdem albedinis. Neque nouum est, compositis conuenite denominationes aliquas, tum absolutas, tum respectiuas, quæ non sint communes singulis eorum partibus, vt multis posset exemplis ostendi, nisi res esset confessa, ac per se manifesta. Non desunt etiam, qui negent eiusmodi alba verè referri inuicem, propterea quod illorum distinctio sit tantum inadæquata, & cum aliqua identitate coniuncta. Quam tamen immerito constabit paulò infrà.

181 Quæres enim prius, an distinctio realis ad relationem prædicamentalem, ac veram, necessària esse debeat realis absoluta, vel sufficiat modalis? Soncinas, & Fonseca superius citati realem absolutam exigunt. At Suarez, Albertinus, & Balthasar Tellez modalem existimant sufficere. Quibus subscribitur, quia talis distinctio modalis est vera, ac realis distinctio; quidni ergo ad veram, realemque relationem satis? Tum etiam, quia, vt ostensum est lib. 2. tract. 3. cap. 2. ea non est minor distinctio, quam absoluta, tantum abest, vt non sit vera distinctio absoluta: ergo, cum sufficiens sit ad relationem, cur non modalis? Tum denique, quia res causant, ac realiter producunt modos suos: v. g. intellectus, & voluntas cognitionem, & amorem, quos multi putant esse modos: anima vi actionis nutritiuæ vnionem, qua copulatur portioni materiæ, quam denuo acquirit: Item materia eandem vnionem instar causæ materialis. Atqui ordo producentis, & producti, causæ & causati semper est cum extremorum distinctione reali coniuncta.

182 Qui oppositum tuerentur, se muniunt argumento quodam deducto ex mysterio Triados. Nam personalitates, inquit, diuinæ distinguuntur realiter absolute, non verò modaliter: at non alia de causa, nisi quoniam eas interest relatio vera, ac realis, nimirum originis: eiusmodi ergo relatio, & quæuis alia consimilis, ac non minor distinctionem realem absolutam extremorum postulant. Sed responsio est in promptu: siquidem ex relatione originis tantum colligitur distinctio vera, ac realis personalitatum diuinarum: quod autem ea sit absoluta, & non modalis, haud inde concluditur, sed ex eo, quod neutra earum personalitatum possit esse alterius modus, & hoc sit illarum ingenium: quo pacto in rebus creatis diuersa supposita semper ita instituta sunt, vt vnum non sit modus alterius, sed potiùs ambo res.

183 Deinde quæres, an sufficiat distinctio realis inadæquata, totius videlicet à singulis partibus suis ad veram, ac prædicamentalem relationem? Negant Fonseca lib. 5. met. c. 13. q. 13. sect. 3. §. Sed vnum duo tem-

pora, & c. 15. q. 1. sect. 7. §. Defectu secunde, & Soncinas 5. met. q. 29. Caterum affirmat P. Suarez disp. 49. met. sect. 9. n. 5. Et quidem ex mente, tum Augustini lib. 10. confess. c. 6. tum etiam Euclidis lib. 1. Geometriæ; quorum testimonia à nobis allata sunt suprà tract. 4. cap. 10. in solut. ad 4. Quibus nunc adiicio (vt alios prætermittam breuitatis causâ) Senec. epist. 11. vbi sic loquitur: *Tota ætas partibus constat, & orbis habet circumductos maiores minoribus.* Et paulò infrà: *Est deinde ipse annus in se omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur: mensis arbitrio præcingitur cingulo: angustissimum habet dies gyrorum.* Quibus verbis inæqualitatem temporum, quorum alia contineantur in aliis, quæque se habeant instar totius, ac partium adstruit perquam luculenter.

184 Accedit ratio, eaque non vna: nam in primis pars causat totum, v. g. albedo album, materia hominem; altera ergo ad hunc, & altera ad illud refertur realiter, cum relatio causæ ad effectum sit vera, ac realis: atque inter albedinem, & album omnium femè, & inter materiam, atque hominem plerorumque consensu est distinctio tantum realis inadæquata. Rursus pars à toto, in quo per identitatem inadæquatâ clauditur, est tamen inadæquatè distincta, ipsum autem distingui realiter inadæquatè duo quædam, est ea realiter referri: realis ergo relatio haud maiorem postulat distinctionem. Ad hæc: distinctio realis inadæquata est vera, ac propria distinctio: ergo ad veram sufficere relationem. Consequentia est perspicua: antecedens suadetur, nam si qua de causa non esset distinctio vera, maxime quia est cum identitate coniuncta: hæc autem ratio est nulla: siquidem in creatura quæuis est vera perfectio, qua creatorem imitatur; est itidem vera imperfectio, qua ab eo degenerat: & quod altera sit cum altera coniuncta, haud tollit, quominus vtraque sit vera in suo genere: similiter ergo in præfenti &c.

185 Vltius inter personalitates diuinas, Paternitatem videlicet Filiationem, & Spirationem passiuam est verè relatio, sin minus similitudinis, aut æqualitatis, ac certè originis, & productionis: & tamen earum distinctio est cum identitate in tertio quodam, nimirum natura coniuncta: quantumuis ergo pars, & totum siue extrema realiter inadæquatè distincta quandam habeant identitatem, haud propterea relationem realem penitus reiicient. Præterea ex Scoto superius citato: quis neget duo subiecta alba per eandem diuinitus albedinem, verè esse similia, realiterque relata: atqui non nisi præsidio solius distinctionis realis inadæquatæ. Tum etiam scibile, ac scitum refertur ad scientiam prædicamentalem, vt suprà probatum: at ab ea tantum distinguitur realiter inadæquatè: est enim denominatio extrinseca scientiam, vel actiuam, vel in potentia includens, & obiectum in super. Denique ad homines: multi aduersariorum putant, distinctionem modalem aliquorum extremorum admittere, imò etiam poscere eorum identitatem realem absolutam, & non quamcunque, sed adæquatam: at tantam, nec petit, nec recipit distinctio realis inadæquata, folique identitati partiali est obnoxia: est igitur minor quam modalis, vt eo supposito principio acutè disputat P. Suarez ubi suprà: modalis ergo cum sufficiat ad relationem realem, ac prædicamentalem veluti probatum est, quidni, & inadæquata?

186 Quibus diuersa placet sententia, hi sic opponunt: quæuis quantitas continua habet partes minores, minoresque sine fine, quarumque alia contineantur in aliis; vnde à philosophis appellari solent communicantes: quæuis ergo, si refertur, aut ad aliam in qua clauditur,

clauditur, aut ad totum continuum quod complectitur omnes, sequetur processus in infinitum modorum. Verum in primis relatio predicamentalis sita non est in modo, ac præter utrumque extremum, nihil aliud realiter distinctum importat: quo supposito sola partium ipsarum infinitas, non vero modorum nobis est concedenda. Secundo, cum admissa compositione illa infinita continui necesse sit in eo admittere puncta infinita realiter adæquatè distincta inuicem, quid est, quia propter reiciantur modi punctis partes, ac nihilo pauciores? Tandem, ut ostensum in physica, partes continui, non tantum realiter inadæquatè, sed etiam realiter adæquatè distinctæ inuicem nequeunt non esse infinitæ, si qua sit infinitas continui: v. g. palmus debet esse diuisibilis in duas medietates æquales, & se ex toto excludentes, & quæuis harum medietatum in alias duas nequaquam inclusas inuicem, & harum etiam quælibet in totidem alias, atque ita sine termino: distinctio autem realis adæquata partium harum ad earum relationem realem satis est: nam ab illarum vnione nequit impediri cum maior extra dubium sit nexus materiæ, & formæ, quarum tamen relationem realem quis ambigat; incommodum igitur illud in aduersariorum sententia æquè atque in nostra sequitur: proinde eius effugiendi causa haud est, quod vna præferatur alteri.

C A P V T XIV.

Terminus relationis predicamentalis, an debeat esse absolutus, vel potius connotatiuus?

187 **E**ste debere absolutum, & non connotatiuum, idque, siue relatio sit mutua, siue non mutua, tenetur Scotus in primum dist. 30. quæst. 1. & ibidem Leucherus, & ceteri Scotistæ: Item ex Thomistis Capreolus eadem dist. & quæst. art. 2. ad 3. ac Soncinas 5. metaph. quæst. 30. ad 2. ex nostris autem Suarez disp. 47. metaph. sect. 16. Vasquez 1. p. disp. 159. cap. 6. Hurtadus disput. 15. metaph. sect. 7. Balthazar Tellez in metaph. disp. 42. sect. 6.

188 **C**ontra vero relationis predicamentalis, quæ ea cunque sit, & siue mutua, siue non mutua, terminum esse dumtaxat connotatiuum, id est aliam relationem, docent Caiet. 1. p. q. 13. art. 7. & ibid. Zumel Bannez, ac Nazarius: Item Araujo 5. metaph. q. 5. art. 7. Ioannes à Sancto Thoma questione 17. log. art. 5. §. nihilominus pro resolutione. Quibus subscribit noster Fonseca 5. metaph. capit. 15. quæstio. 4. & sect. 4.

189 **A**t alij distinguunt, aiuntque relationes mutuas terminari ad connotatiuum, non mutuas vero ad absolutum. Ita Ferrariensis lib. 2. contra Gentes capite 11. Rubius in predicament. cap. 7. quæst. 8. num. 131. Hispalensis in primum dist. 3. quæst. 1. Niphus libro. 5. metaph. disput. 14. Nulla horum sententiarum mihi omnino placet, potiusque existimo omnem relationem, siue mutua sit, siue non mutua quodammodo terminari aliquo absoluto; omnemque itidem terminari alia relatione.

190 **S**uadetur autem prior verioris sententiæ pars talem in modum: siquarum relationum terminus esset semper relatio aliqua opposita, & nihil absolutum; maxime earum, quæ sunt mutua: ac non illarum: nullæ ergo sunt, quæ ita postulent terminari, nullæ, quæ non quidpiam absolutum respiciant: maiorem nemo negat, nisi qui sit parum versatus in doctrina, principiique doctorum, quos paulo supra postero-

ri memorabimus loco, quive nesciat respectuum mutuatorum à non mutuis, discrimen, atque dissidium. Minor autem probatur plurifariam: Nam relationes illæ mutua, quæ disquiparantiæ dici solent, cuiusmodi sunt patris ad filium, & huius ad patrem maioris, ac minoris inuicem, domini ad seruum, & è conuerso, non terminantur ad connotatiuum in eodem genere, ut est evidens, haud enim seruus est domini dominus, siue ut græcè dicam, despotikios, haud filius est parentis sui pater, &c. ad modum, quo Petrus, verbi, gratia, est similis, æqualiue Paulo, & hic illum eadem relatione similitudinis, & æqualitatis excipit. Tum sic: ergo tales relationes terminantur ad absolutum saltem in eodem genere: earum namque terminus, cum non referatur ad fundamentum in eodem genere, opus est, ut in eo sit absolutus, quandoquidem non referri aliquid est illud à relatione ad absolutum esse: Eiusmodi ergo relationes simpliciter loquendo intuentur velut terminum quidpiam absolutum; tum, quia ut supra visum est capite 1. ut quædam relationes dicantur præcise, & simpliciter non mutua, satis est ut sint non mutua in aliquo genere alioqui profecto nullæ erunt ita non mutua, quod tamen est aduersus Aristotelem, & omnes scholasticos vno excepto Gregorio, & Nominalibus quibusdam: tum etiam quia tria principia entis naturalis, videlicet materia, & forma, ac priuatio dici solent quæ non sunt ex se, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis: & tamen solum non sunt ex aliis in eodem genere, cum interim sint aliunde in diuerso: similiter ergo in præsentia, &c.

191 **R**ursum secundo probatur idem in relationibus æquiparantè mutuis, sicuti forte propter argumentum superius maiorem ingerant difficultatem. Id est terminus similitudinis physica, ac predicamentalis, cui aliquid eius vi physice assimilatur: quemadmodum id est terminus cognitionis, cui potentia assimilatur intentionaliter, siue quod ea cognoscit, ac repræsentat: Atqui vna albedo est similis specificè, ac formaliter alteri albedini, non vero alteri similitudini: huic enim albedo fundamentalis, siue quod iuxta est, fundamenti sustinens prouinciam potius est dissimilis, cum altera sit qualitas, altera vero non sit formaliter qualitas, sed plurium relatio qualitatum, alteraque sit absoluta, & altera iuxta non paucos modos quidam: ipsa ergo albedo terminat similitudinem alterius concoloris, non vero alia quædam similitudo, eodem argumento suaderi potest, relationes disquiparantè mutuas terminari ad quidpiam absolutum, non superiori dumtaxat titulo, sed etiam alio vrgentiori longe: siquidem id est terminus paternitatis, cuius aliquis denominatur pater, sicut illud dici solet cognitionis terminus, cuius potentia dicitur cognoscens: atqui Petrus, v. g. non dicitur pater filiationis, sed potius substantiæ Pauli: hanc enim non illam per se genuit; substantia ergo Pauli terminat paternitatem, eique obicitur ex aduerso.

192 **P**ræterea tertio ob id veritas dici solet terminus formalis cognitionis quoniam ratio propter quam aliquid dicitur cognosci, est quia est transcendentaliter verum & ob id bonitas censetur terminus formalis amoris, quoniam causa cur aliquid potest, ac debet amari est, quod sit bonitate transcendentali prædita. At etiam idcirco Petrus, verbi g. est similis Paulo ad eumque hoc pacto refertur, quia eius more est albus; ideoque Petrus est pater Pauli, quia huius ab eo substantia est genita: substantia ergo, & albedo Pauli adeoque quidpiam absolutum est terminus formalis similitudinis, & paternitatis: Par autem